A Doesto Viri.

IV. Id. Apr. CIƆIƆCLIII.

Vir Ampl.me ac doct.me

Scriptoribus Rei Rusticae latinis, M. Catone, Tit. Varrone, Palladio et L. Columellâ, contubernalibus in Vitaulis meo uti soleo quam familiariter, qualis nimirum Coloniae anno CIƆIƆXXXVI. Joannes Gymnicus in 8°. excudit. Hic editio cum de male politis sit, et nimis quam mendosa, consulendum te imprimis duxi, ut si quis praestantissimos autores meliori formâ vulgaverit indicare digneris, et quonam pretio exemplar ad me transmittere. Cum si quis eos aut notis aut Commentariis ubiori illustraverit expeditus Vir, gratissimum erit scire et meis sumptibus comparare. Reperiuntur in Catalogo officinali Scaligeri, Victorius, Fulv. Ursinus et alij, qui tale quid moliti sint, editi Heidelbergae apud Commelinos CIƆIƆXCII in 8°. Et seorsim Cato Lugduni Bat. [struck] ap. Raphelengium CIƆIƆXCV. item in 8°. Invenio ibidem Bern. Zwingeri opusculum, quod methodum inscripsit Rusticam Catonis atque Varronis, Basileae editum CIƆIƆXCV. 8°. et Conr. Heresbachij de re Rustica libros IV Spirae in 4°. excusos. ut et Florilegij simile quid à Joachimo Camerario in 8°. CIƆIƆXCVI. Horum omnium si quid instruendo mihi Agricolae tironi facere existimabis, aut recentius porro quid et praestantius elaboratum noveris quod te certiorem facere me ne graveris. non occurrit [illegible], cuius ad Te indagandi consilio pr. te in omni Academia uti possem certius aut expeditius. addam et amicum, si pro mediocritate quae non nuspiam sint vos, otio me tuo tam familiariter abuti patiaris, in re nimirum à professione tua minus aliena. Vale Vir amice, et opellâ meâ, cum fert usus, pari libertate fruere. Scrib. Hagae Com. IV. Id. Apr. CIƆIƆCLIII.

Tuus quidem multi

Eugenius.

[illegible]